

VERSION LATINE

Les penseurs méritent plus d'honneurs que les athlètes.

Nobilibus athleticis qui Olympia, Pythia, Isthmia, Nemea uicissent, Graecorum maiores ita magnos honores constituerunt uti, non modo in conuentu (1) stantes cum palma et corona ferant laudes, sed etiam, cum reuertantur in suas ciuitates cum uictoria, triumphantes quadrigis in moenia et in patrias inuehantur, e reque publica perpetua uita constitutis uectigalibus fruuntur.

Cum ergo id animaduertam, admiror quid ita non scriptoribus eidem honores etiamque maiores sint tributi, qui infinitas utilitates aeuo perpetuo omnibus gentibus praestant. Id enim magis erat institui dignum, quod athletae sua corpora exercitationibus efficiunt fortiora, scriptores non solum suos sensus, sed etiam omnium, cum libris ad discendum et animos exacuendos praeparant praecepta.

Quid enim Milo Crotoniates quod (2) fuit inuictus prodest hominibus, aut ceteri qui eo genere fuerunt uictores, nisi quod, dum uixerunt ipsi, inter suos ciues habuerunt nobilitatem? Pythagorae uero praecepta, Democriti, Platonis, Aristotelis ceterorumque sapientium, cotidiana perpetuis industriis culta, non solum suis ciuibus, sed etiam omnibus gentibus recentes et floridos edunt fructus. [...] Cum ergo tanta munera ab scriptorum prudentia priuatim publiceque fuerint hominibus praeparata, non solum arbitror palmas et coronas his tribui oportere, sed etiam decerni triumphos et inter deorum sedes eos dedicandos iudicari.

Vitruve

(1) *conuentus* : désigne ici le stade.

(2) *Quid quod* : « En quoi le fait que... »